This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lc
66
50

Lc 66.50

INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE
RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

D E C O R N I F I C I O E J U S Q U E

S T U D I I S G R A M M A T I C I S

DISSERUIT THEODORUS BERGK

M A R B U R G I

EX OFFICINA ELWERTIANA

1843

Lc 66.50

INDICES LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM,

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM A. MDCCCXLIII.

INDE A D. I. MAII USQUE AD D. XVI. SEPTEMBRIS

HABENDAE PROPONUNTUR.

MARBURGI.
EX OFFICINA ELWERTIANA.

Lc66.50

Harvard College Library
Bowie Collection
Gift of
Mrs. E. D. Bridgeo
Nov. 9, 1963.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU

S. P. D.

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS.

De *Cornificio* poeta cum nonnulla dissero, non inutilem prorsus laborem mihi videor suscepisse: incidit enim ejus aetas in illud tempus, quod clarissimorum poetarum studiis satis fuit illustratum: et magna ingenia cum admiramur, operae pretium videtur etiam ad eos animum advertere, qui secundum vel tertium locum obtinuerunt vel etiam infra collocandi sunt. Et Cornificii quidem aetatem et ingenium aliqua ex parte Ovidius in Trist. II. 428 significat:

Sic sua lascivo cantata est saepe Catullo
Femina, cui falsum Lesbia nomen erat,
Nec contentus ea multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Par fuit exigui similisque licentia Calvi,
Detexit variis qui sua furta modis.
Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen, apud quos
Rebus abest nomen nominibusque pudor.
Cinna quoque his comes est Cinnaque procacior Anser
Et leve Cornifici parque Catonis *opus*.

Ex hoc enim loco discimus primum Cornificium aequalem fuisse Catulli, Calvi, Ticidae, Memmii, Cinnae, Catonis Valerii; deinde Cornificium pariter atque illos amatoria carmina composuisse. Atque aetatem poetae accuratius etiam describere possumus, etenim mortuus est anno 712 vel 713 a. u. c. siquidem Hieronymus in Chron. Euseb. MDCCCCLXXVI. dicit: „Cornificius poeta a militibus desertus interiit, quos saepe fugientes galeatos lepores appellaverat. Hujus soror Cornificia, cujus exstant insignia epigrammata.“ In turbis fluctibusque bellorum civilium Cornificium a militibus, quos libertate oris lacessiverat, interemtum esse, prorsus non abhorret a probabilitatis specie. Illud vero bene factum, quod ex hoc Hieronymi loco cognoscimus Cornificio etiam sororem fuisse, quae et ipsa poesin attigit. Cornificium cum Catullo amicitia conjunctum fuisse ostendit illius carmen XXXVIII:

Male est, Cornifici, tuo Catullo,
Male est me hercule et laboriose
Et magis magis in dies et horas.
Quem tu, quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es allocutione?
Irascor tibi. Sic meos amores?
Paullum quid lubet allocutionis
Moestius lacrimis Simonideis.

quod poetam fuisse Cornificium satis significat. Jam supersunt duo quamvis tenuia fragmenta carminum, quae produnt Cornificium eodem modo, quo Catullum ad Graecorum exemplum se composuisse. Versum hendecasyllabum affert Macrob. Saturn. VI. 4: „item apud Cornificium:

Deducta mihi roca garrienti.“

et ibid. c. 5: „Cornificius in Glauco:

Centauros foedare bimembres.

Quod Macrobius statuit, Virgilium hos ipsos Cornificii versus imitatum esse, cur rejiciendum sit, pluribus explicare nolo: at illud certe apparet, Cornificium aetate priorem fuisse Virgilio, itaque haec prorsus congruunt cum iis, quae modo de Cornificii aetate dixi.

At ego quidem Cornificium non solum poetam fuisse, sed cum poesi etiam grammaticae artis studium conjunxisse censeo: quod prorsus congruit cum illius saeculi consuetudine, quem ad modum Licinius Calvus artem dicendi, rhetoricam et grammaticam Valgius cum poesi copulavit. Etenim non dubito, quin *Etymorum* libri, qui dicuntur, ad hunc ipsum Cornificium sint referendi. Hujus operis librum III. memorat Macrobius Sat. I. 9: „Janumque ex eundo: quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur et ex se initium faciens in se revertitur, unde et Cornificius Etymorum libro tertio: *Cicero*, inquit, *non Janum, sed Eanum nominat ab eundo: hinc et Phoenices in sacris imaginem ejus exprimentes, draconem finxerunt in orbem redactum caudamque suam devorantem: ut appareat mundum et ex se ipso ali et in se revolvi: ideo apud nos in quatuor partes spectat, ut demonstrat simulacrum ejus Faleris advectum.*“ Haec omnia ad Cornificium refero, non tantum illa: „Cicero non Janum, sed Eanum nominat ab eundo.“ Commodius enim longe Macrobius ipsum Ciceronem auctorem adhibuisset, si nihil praeter hoc ex Cornificio voluisset proponere. Ciceronis autem locus, qui respicitur, est in libro de Nat. Deor. II. 27. „principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviae Jani, foresque in liminibus profanarum aedium januae nominantur.“ Porro Macrobius I. 17 Cornificio utitur: „Cornificius arbitratur Apollinem nominatum ἀπὸ τοῦ ἀναπολεῖν, id est, quia intra circuitum mundi, quem Graeci πόλον appellant, impetu latus ad ortus refertur.“ et ibid. infra: „Φοῖβος appellatur, ut ait Cornificius, ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, quod vi fertur.“ Quae ex eodem hoc opere petita esse arguit Macrobius ibid. cap. extr.: „Pythius eo tempore appellatur, ὡς πύματον ῥέων, ὅ ἐστι τὸν τελευταῖον δρόμον τρέχων. Idem ei nomen convenit et cum capricornum rursus ingrediens ultimum brevissimi diei cursum intelligitur peregisse et ideo in alterutro signorum peracto annuo spatio draconem Apollo, id est, flexuosum iter suum, ibi confecisse memoratur: hanc opinionem Cornificius Etymis retulit.“ Porro huc pertinet alius Macrobii locus I. 23: „Nam cum ait Homerus:

Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο,
Δωδεκάτῃ δὲ τοι αὖθις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.

Jovis appellatione solem intelligi Cornificius scribit, cui unda Oceani velut dapes ministrat: ideo enim, sicut et Posidonius et Cleanthes affirmant, solis meatus a plaga, quae usta dicitur, non recedit, quia sub ipsa currit Oceanus, qui terram et ambit et dividit.“ Apparet ex omnibus his locis, quos Macrobius servavit, Cornificium Deorum nomina, quam vim et significationem haberent, exposuisse: itaque non dubito quin integra operis inscriptio fuerit, *de etymis deorum*, arguitque hoc Priscianus VI. T. I. p. 267 ed. Krehl: „Cornificius *in primo de Etymis Deorum*: *Ipsis vero ad Cereris memoriae novandae gratiam lectus sternuntur*,“ ita enim corrigendum, codd. *de etoemis*, *de etheomis*, *de ecdemis*, alia exhibent. Auctorem autem hujus operis de etymis Deorum non diversum esse a Cornificio poeta satis arguit Macrobius, qui cum et carmina et libros de etymis adhibeat, profecto distinctius clariusque locutus esset, si diversi essent Cornificii: at vero et carminum et etymorum autorem sic simpliciter Cornificium appellat. Neque illud obstat, quod in etymorum libro III. Ciceronis libri de natura deorum respiciuntur, quos libros Cicero anno antequam mortuus est edidit: commode igitur Cornificius, qui anno a. u. c. 712 decessit, potuit Ciceronis illos libros commemorare: sequiturque inde Cornificium extremo fere aetatis tempore anno a. u. c. 711 sive 712 hoc de etymis deorum opus edidisse. Ad hoc ipsum opus denique refero ea, quae Arnobius servavit adv. Gent. III. 39 ubi de diis Novensilibus disserit: „si novenarium numerum cognomen Novensilium ducit (Varro), Cornificius labare cognoscitur, qui novitati praesidentibus divis alienae potentiae vim donat. Quodsi opinio Cornificii vera est, imprudens Cincius invenitur, qui urbium victarum deos potestate afficit Novensilium numinum.“

Etiam quod legitur apud Paulum Diaconum p. 123 ed. Müller fortasse huc pertinet: „Minerva dicta, quod bene moneat. Hanc enim pagani pro sapientia ponebant: Cornificius vero, quod fingatur piugaturque minitans armis, eandem dictam putat.“ Et verisimillimum est, etiam

quod Festus p. 194 ed. Müller affert, ad hos libros spectare: „Oscillantes ait Cornificius ab eo, quod os celare sint soliti personis propter verecundiam, qui eo genere lusus utebantur: causa autem ejus jactationis proditur Latinus rex, qui proelio, quod ei fuit adversus Mezentium Caeritum regem, nusquam apparuerit, judicatusque sit Juppiter factus Latiaris: itaque solitos iis diebus feriatos liberos servosque requirere eum non solum in terris, sed etiam qua videretur coelum posse adiri per oscillationem, velut imaginem quandam vitae humanae, in qua altissima ad infimum interdum, infima ad summum efferuntur: atque ideo memoriam quoque redintegrari initio acceptae vitae per motus cunarum lactisque alimentum, quia per eos dies feriarum et oscillis moveantur et lactata potione utantur.“ Etenim censeo Festum sive potius Verrium haec omnia ex Cornificii etymis petiisse, cum cujus ratione et consuetudine illa prorsus congruunt. Porro huc refero, quae leguntur apud Festum p. 282: „Rediculi fanum extra portam Capenam Cornificius . . . . . statuit propterea appellatum esse, quod accedens ad urbem Hannibal ex eo loco redierit, quibusdam visis perterritus.“

Leguntur alia apud Festum ex Cornificio petita, quae utrum huic an alii cuidam operi adjudicanda sint, dubium videtur, quemadmodum quod est p. 166: „Nare a nave dictum Cornificius ait, quod aqua feratur natans, ut avis“ et quae seqq. Ibid. p. 170: „Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod nymphea dixerunt Graeci antiqui γάμον, inde novam nuptam νέαν νύμφην: Cornificius, quod nova petantur conjugia.“ Et ad nuptiarum ritus spectat quod legitur p. 359: „Taliam (Talam) Cornificius posuit, unde et Talassus.“ Deinde p. 217: „Putum pro puro dixisse antiquos et inde putatas vites et arbores, quibus decisum est id, quod impedimento erat, Cornificius ait.“ Denique p. 182 in loco prorsus oblitterato in voce *Orba* Cornificii nomen legitur. Quoniam autem haec, quae modo attuli, ad veriloquium significationemque verborum pertinent, nonnulla etiam res sacras illustrant, propterea non dubito haec quoque ad idem illud de etymis deorum opus referre: namque accurate Cornificium in eo libro de rebus divinis egisse apparet: verisimile est igitur eum etiam quaedam attigisse, quae proprie non cadunt in operis propositum.

Expendendi porro sunt duo Serviani loci, quorum prior est ad Georg. I. 55, ubi grammaticus ut *arboreos fetus* explanaret, dixit: „Cornificius: *ut folia, quae frugibus arboreis tegmina gignuntur.*“ Antiquum aliquem auctorem esse non dubium esse potest: itaque sane etiam hic locus ad Cornificii *Etyma* referendus videtur. Impeditior est ratio alterius loci ad Aen. III. 332, ubi de Apolline et delphino agitur: „Invenitur tamen apud *Cornificium Longum*, Japydem et Icadium profectos a Creta in diversas regiones venisse, Japydem ad Italiam, Icadium vero duce delphino ad montem Parnassum, et a duce Delphos cognominasse et in memoriam gentis, ex qua profectus erat, subjacentes campos Crisaeos vel Cretaeos appellasse et aras constituisse.“ De Apolline, quod intelligimus ex Macrobii locis, quos supra exhibui, Cornificius accurate disseruit; consentaneum est igitur hunc quoque locum ad Etyma referendum esse: quod si verum est, inde discimus *Cornificium Longum* integrum esse viri nomen. Haec sunt, quae ad libros de Etymis deorum referenda mihi visa sunt: quae si accuratius paulo examinaveris, reperies Cornificium antiquitates Romanas sedulo tractavisse, et in explicandis vocabulis fere ad Stoicorum rationem se applicavisse, ut deorum vim et naturam ex appellationibus repeteret et ad rerum naturalium rationem referret: conferas de hac Stoicorum consuetudine Lactant. de falsa Relig. I. 17: „Ob has rationes Stoici aliovorsus Deos interpretantur et quia non pervident, quid sit in vero, conantur eos cum rerum naturalium ratione conjungere“ et quae seqq. Cornificium autem Stoicos secutum esse ostendit clarissime Macrobii locus (I. 23), quem supra adscripsi, ubi Posidonio et Cleanthe auctoribus utitur.

Exstat denique alius apud Virgilianos interpretes locus, in quo Cornificii fit mentio apud Philargyr. ad Eclog. III. 106: „Aliter: dicit Cornificius ab ipso Virgilio audisse, quod Coelium Mantuanum quendam tetigit, qui consumtis omnibus facultatibus, nihil sibi reliquit, nisi locum trium ulnarum ad sepulturam.“ Idem propemodum ex Asconio Pediano profertur: „Item Asconius Pedianus ait, se audisse Virgilium dicentem in hoc loco se Grammaticis crucem fixisse, quaesituros eos, si quid studiosius occultaretur: dicit autem poeta Coelium Mantuanum.“ Hoc quoque non ad aliquem Grammaticum, Asconii fere aequalem, sed ad hunc ipsum Cornificium cur referendum censeam, paullo accuratius explicabo. Inter Virgilium et Cornificium aemulationem

quasi quandam et invidiam intercessisse docet Donatus in vita Virgilii p. XCVIII: »Quare coaevos omnes poetas ita adjunctos habuit, ut cum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent, Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius: Anser vero, quoniam Antonii partes secutus est, illum non observasse dicitur: Cornificius ob perversam naturam illum non tulit« et idem infra p. C: »Cum quidam ejus amicus Cornificii in eum maledicta et inimicitias sibi enarraret, quam putas, inquit, esse hujusce malevolentiae causam? Nam neque unquam Cornificium offendi et eum amo. An, inquit, Hesiodi sententiae non meministi, ubi ait, Architectum architecto invidere et poetam poetae? De malis, inquit, Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo: majore enim cura virtuti intendam; atque quo elegantior ego fiam, eo vehementius ira rumpetur.« Ex his igitur liquido satis cognoscimus Cornificium nequaquam lacessitum, sed solo aemulandi studio ductum Virgiliique recente laude irritatum huic poetae maledixisse: facileque fidem habemus illi vitae auctori, Virgilium, quod erat ei mite et decorum ingenium, illius inimicitias aequo animo tulisse. Jam interpretes Virgiliani testantur in Eclogis poetam aliquoties hunc Cornificium exagitavisse, quemadmodum Servius dicit ad Ecl. II. 39: »Amyntam Cornificium vult intelligere, quia conatus est contra Virgilium scribere, vel ideo stultus, quia invidit.« Quod grammaticus dicit Cornificium contra Virgilium scripsisse, id nequaquam fictum aut commenticium arbitror: etenim probabile est Cornificium non solum dictis Virgilii famam laesisse, sed ut ejus honori gravius etiam infligeret vulnus, etiam scriptis reprehendisse illius carmina: huc igitur refero quod Philargyrius ex Cornificio retulit, qui dixerit, se ex ipso Virgilio audivisse, Coelium Mantuanum tangi illo versiculo:

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo
Tris pateat coeli spatium non amplius ulnas,

qui locus frigidus sane et jejunus est, nec injuria in reprehensionem incurrit: poteratque sane Cornificius, ut Virgilium vituperaret, dicere Coelium nescio quem Mantuanum, qui patria bona perdidisset, respici. At quod Servius dicit illo loco Cornificium Amyntae nomine a Virgilio perstringi, id rejiciendum existimo: non quod ejusmodi reprehensio sit aliena a bucolico carmine: namque ego quidem existimo ruralia illa carmina nunquam tantopere probata fuisse Romanis, nisi poeta eorum, quae in praesentia agerentur, habuisset rationem: itaque Virgilius pastoritia vita tanquam involucro quodam fere usus est, quo ea, quae ad ipsum suosque aequales pertinerent, haud inscite significaret: secutusque erat eandem rationem jam olim Theocritus, quamvis magis ille quidem sibi temperaverit: at quominus Amyntae nomine Cornificium irrideri credamus, impedit temporum ratio: etenim Ecloga illa inter primas est referenda, siquidem ipse Virgilius dicit in Ecloga V. 95:

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta,
Haec nos Formosum Corydon ardebat Alexin,
Haec eadem docuit, Cujum pecus an Meliboei?

Satis superque indicat Virgilius primas eclogas fuisse Alexin et Palaemonem, ita tamen ut Alexis, in qua Cornificium perstrinxisse dicatur poeta, tempore alteram antecedat: jam cum Ecloga V anno a. u. c. 712 scripta sit, quod viri docti satis probabiliter docuerunt, has eclogas aliquot annis ante compositas esse apparet, referuntque etiam propter alia argumenta Alexin ad annum 709, Palaemonem ad annum 711. Jam haec ipsa carmina fuerunt, quae primum cum innotescerent, Virgilio aliquam nominis celebritatem comparaverunt, qua Cornificius commoveri potuit, ut huic poetae malediceret. Non igitur in duabus illis eclogis potuit Virgilius laedere Cornificium, quippe quem viderimus prorsus non lacessitum Virgilium exagitasse: error igitur iste est grammaticorum, qui in Ecloga II. existimant Cornificium respici: omninoque ille locus ita est comparatus, ut appareat, nullam omnino laedendi quemquam consilium obversatum esse poetae. At vero post editas hos eclogas Cornificius scripserat contra Virgilium, erantque etiam postea, qui bucolica carmina reprehenderent, quemadmodum memoriae prodit Donatus p. XCVII: »Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt, nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime παῤῳδήσας, quorum prioris initium est:

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

Sequentis:

Dic mihi Damoeta, cujum pecus, anne Latinum?
Non, vero Aegonis, nostri sic rure loquuntur.«

Itaque edito Cornificii libello jam Virgilium, quamvis modesto et facili esset ingenio, obtrectatorem contra laesisse consentaneum est, idque confirmant interpretes Virgiliani, siquidem Servius ad Ecl. V. 8 dicit: »Amyntas: Cornificius per ironiam dicitur.« Jam cum supra ostenderim vel propter temporis rationem in ecloga II. non potuisse Cornificium a Virgilio Amyntae nomine rideri, commentumque futile esse grammaticorum, qui aliquid de inimicitiis inter Virgilium et Cornificium audivissent, nihil autem certi comperissent, fortasse vel propter hoc ipsum argumentum aliquis hanc quoque Servii interpretationem rejiciat. Accedunt autem alia, quae satis dubiam reddant Servianam opinionem: namque nulla idonea ratio reperiri potest, cur Amyntae nomine usus Virgilius petiverit Cornificium, quod abhorret a Romanorum poetarum consuetudine, qui ubi Graeco aliquo nomine aliquem aequalium tanguut, quod verum est nomen aliqua certe ratione, licet subobscure nonnumquam, significant. Deinde nec ille versus, quo Menalcas utitur:

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas,

nec quod Mopsus infra v. 15 regerit:

Tu deinde jubeto certet Amyntas

per invidiam ullam est dictum. Itaque haec quidem Servii interpretatio segreganda est. At superest alius locus, de quo paullo explicatius dicendum est, apud Interpr. Mediolan. ad Eclog. VII. 22: »Quale meo Codro: Codrum plerique Virgilium accipiunt, alii Cornificium, nonnulli Helvium. Quod s . . . Cinnam putant, de quo bene sentit. Similiter autem hunc Codrum in elegiis Valgius honor . laude . . . . . fici appetat. Et quadam in ecloga de eo ait . . . Ille canit quali tu . . . e ca . . . . . solet numeros dicere Cinna tuos, dulcior ut nunquam pylio defluxerit ore Nestoris . . . aut . . . pectore dem . . . . . credis mihi . . . noctem non hilarum posset . . . falleris in . . , quantum si gurgite rautae Crisene quaerat flumina castaliae . . . qui accipiendus est φυσικῶς.« Quod Codrus ipse Virgilius esse dicitur, manifestus error est: neque credo hoc scripsisse interpretem, sed aut *Maevium*, aut *Bavium*, qui fuerunt notissimi Virgilii obtrectatores, vide quae dicit Servius ad ejusdem Eclogae v. 21: »Thyrsis vero, qui vincitur, Virgilii obtrectator, scilicet aut Bavius aut Maevius, pessimi poetae.« Ea, quae apud illum interpretem subsequuntur, sic videntur restituenda: »Quod *sunt*, *qui* Cinnam putant, *errant*, de quo bene sentit.« Namque Cinna Virgilio nequaquam exosus fuit. Sed quae deinceps adjiciuntur, aegre possunt redintegrari: nam ne id quidem certum, utrum Cornificium necne sub Codri nomine delitescere existimaverit ille interpres: illud vero certum, omnia, quae sequuntur, de Codro accipienda esse: et Valgium quidem in Elegiis Codrum commemorasse ostendit etiam Servius ad hunc ipsum locum, cum dicit: »Codrus poeta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegiis suis refert.« Quae apparet ex ampliore aliqua explicatione temere contracta esse in brevius. At ultima illa ex parte certe restitui possunt, lego enim: »Et quadam in ecloga de eo ait *idem:*

A. Ille canit, quali tu *voce*, *Catulle*, *canebas*,
Ille solet numeros dicere, Cinna, tuos,
Dulcior ut nunquam Pylio defluxerit ore
Nestoris, aut *carmen* pectore *Demodoci*.
Codrus, *si* credis mihi . . . . . .
Noctem non hilaram posset . . . .
B. Falleris *infelix*, quantum si gurgite *rauco*
Crissaeae quaeras flumina Castaliae.

Addidi *idem*, quoniam hanc quoque eclogam, in qua Codrus commemoratur, Valgii esse arbitror: etenim vix alium quem aequalem Virgilii reperias, cui cum aliqua probabilitatis specie haec vindicare possis. Bucolicam enim poesin praeter Virgilium pauci attigerunt; atque Valgium eclogas conscripisse probabiliter conjicias ex iis versibus, qui leguntur apud Philargyr. ad Georg. III. 176:

Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis
Et sinum vini cessamus ponere Baccho?

Jam quod elegiaci sunt versus, qui ex hac ecloga afferuntur, id nequaquam potest offensioni esse, quandoquidem etiam Theocritus in idyllio VIII. v. 37—60 eandem formam adhibuit, ubi Daphnis et Menalcas pastores carminibus inter se certant. Neque vero illud mirum aut ab illius saeculi poetarum consuetudine abhorret, quod in pastoritio carmine aequales poetae commemorantur, fecit hoc idem Virgilius Ecl. IX. 35 ubi Lycidas dicit:

Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Apud Valgium igitur, si recte huic hoc fragmentum vindicavi, Codrus a pastore aliquo magnis laudibus effertur, et cum Catullo et Cinna componitur: recte enim arbitror me versum primum restituisse, siquidem Catullus fere cum amico et aequali Cinna componi solet, conf. Catull. XCV. 1:

Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem,
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem

et quae seq.

Alterum quoque distichon in Codri laudem compositum esse apparet, nam is, qui Codrum cum aequalibus poetis Cinna et Catullo comparaverat, idem eum antiquis heroibus propter oris suavitatem aequiparat. Et *Demodoci* quidem nomen recte mihi videor restituisse, quemadmodum est in Odyss. Θ. 52 de eodem:

Τὸν περὶ Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε,
Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.

Sed fortasse illi versus aliter conformandi sunt, nam cum post nomen *Nestoris* indicata sit lacuna, fortasse sic est corrigendum:

Dulcior, ut nunquam Pylio defluxerit ore
Vox aut *Phaeacis* pectore *Demodoci*,

ut *Nestoris* explicandi gratia adjectum sit ad *Pylium os*. Tertium autem distichon nimis male est habitum, ut redintegrari possit, videtur tamen et ipsum ad Codri laudem pertinere, initiumque versus fortasse fuerit: *Codrus* (vel alius quis casus illius nominis) *si credis mihi*. Ultimi vero versus aperte ab altero sunt dicti, qui quantum ille Codri laudem extulerat, tantum de eodem detrahit, neque potest dubitari, quin recte scripserim:

Falleris infelix, quantum si gurgite rauco
Crissaeae quaeras flumina Castaliae,

et ad ultimum illud distichon videtur haec grammatici nota referenda esse: „qui accipiendus est φυσικῶς“ ut dicatur Valgius raucam potissimum vocem Codro exprobravisse: quod quidem in memoriam revocat Juvenalis versus Sat. I. 2:

Semper ego auditor tantum? Nunquamne reponam
Vexatus toties *rauci* Theseide *Codri*?

Neque enim Juvenalis aequalem aliquem intellexit poetam Codrum, sed Codri nomine usus est, ut malum alicuiem poetam significaret, verum dicetur de hoc loco infra. *Raucum* autem quod Juvenalis dixit Codrum, id plane confirmat, quod dixi, illos Valgii versus maximeque hoc distichon:

Falleris infelix, quantum si gurgite rauco
Crissaeae quaeras flumina Castaliae

ad Codrum referenda esse. At vero illud quaeritur, quis sit ille poeta, quem ficto hoc nomine et Virgilius et Valgius insectati fuerint. Equidem prorsus assentior illis, qui ut scholiastes ille Mediolanensis indicat, Cornificium a Virgilio notari existimaverunt: nam quando Latini poetae aliquem ex aequalibus Graeco aliquo et ficto nomine appellant, eam semper rationem sequuntur, ut aut syllabarum numerus et mensura par sit, aut nominis certe similitudo aliqua servetur, quemadmodum Catullus Clodiae Lesbiam, Tibullus Planiae Deliam, Cynthiam Hostiae Propertius substituit, vid. Apulej. Apolog. p. 198 ed. Scriv. ubi de ipso Virgilio haec addit: „Quando modestius tandem Mantuanus poeta, qui itidem ut ego puerum amici sui Pollionis Bucolico ludicro laudans et abstinens nominum, sese quidem Corydonem, puerum vero Alexin vocat.“ Atque Codri nomen profecto non procul abest a Cornificii similitudine, praesertim cum, si aliud substituisset, quod eundem referret numerum, illud versus legibus non fuisset accommodatum.

At gravius illud est argumentum, quod quae de Codro dicit Virgilius, ea optime cadunt in Cornificium: nam in Ecloga VII. v. 21 Corydon:

Nymphae, ait, noster amor, Libethrides aut mihi carmen
Quale meo Codro concedite: proxima Phoebi
Versibus ille facit: aut si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu,

cui Thyrsis regerit:

Pastores edera crescentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro.
Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Corydon, sub cujus persona in hac quoque Ecloga, id quod Apuleji locus, quem supra dixi, indicat, delitescit ipse Virgilius, eximiis quidem laudibus videtur efferre Codrum, quem ipsi Apollini aequiparat, at speciosa magis, quam vera est illa laudatio, nam continuo alter ille pastor Thyrsis invidiam maxime exprobrat Codro,

rumpantur ut ilia Codro.

Hoc autem prorsus congruit cum iis, quae Donatus in Virgilii vita de Mantuani vatis et Cornificii inimicitiis refert, p. C, quem locum supra exhibui, qui Virgilii mite ingenium satis illustrat, nam nec offendisse et amare se Cornificium dixit, et magna cum gloria in manu habere vindictam: majore enim cura, ait, virtuti intendam, atque quo elegantior ego fiam, *eo vehementius invidia rumpetur.* Plane iisdem verbis Virgilius in familiari sermone de Cornificio est usus, quibus in illa ecloga de Codro, ut jam dubitari non possit, quin sub hoc involucro adversarius iste delitescat. Itaque hanc eclogam, quae praeterea nulla temporis indicia prae se fert, fere circa annum 712 scriptam esse puto, quandoquidem tunc Cornificius aggressus est Virgilium. Et eodem tempore itidem Virgilius tangit Cornificium: namque facile apparet etiam quae in Ecloga V. v. 10 leguntur: (scripta autem est haec ecloga anno 712 a. u. c.)

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri,

ad hunc Cornificium spectare, erraveruntque grammatici tantum quatenus sub Amyntae nomine v. 8 delitescere Cornificii personam arbitrati sunt. Inde autem ab eo tempore Codri nomen ita fuit insigne, at quemvis clamosum rixarumque cupidum poetam Codrum appellarent, quemadmodum est apud Juvenal. Sat. I. 7:

Semper ego auditor tantum? Numquamne reponam
Vexatus toties rauci Theseïde Codri?

nam aequalem aliquem poetam dixit, qui Theseïdem recitavit.

At expendenda fuerit Weicherti, viri doctissimi sententia, qui in commentat. de Jarbita Timagenis aemulatore Codrum Virgilianum censet non diversum esse ab Jarbita Mauro, quandoquidem schol. Cruqu. ad Hor. Epist. I. 19. 15 dicit: »Exemplum stulti imitatoris interposuit. Nam hic Jarbita Maurus regione fuit Cordus, qui dum Timagenem imitatur post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod conabatur, paene disruptus est.« Censet autem Weichertus ibi quoque *Codrus* restituendum esse: facile hoc largior, neque tamen cetera, quae disseruit Weichertus, probari possunt. Interpres ille Horatianus, cum animadverteret similitudinem aliquam intercedere inter Virgilianum illud: *Rumpantur ut ilia Codro* et hoc Horatianum: *Rupit Jarbitam Timagenis aemula lingua*, existimavit utrumque poetam eundem tangere hominem, Codri autem nomen sive Cordi, quod apud Virgilium est, germanum, Jarbitae fictum ab Horatio esse. At diversi plane sunt, namque Virgilianus Codrus est Cornificius, Horatianus Jarbita est *Juba*, Mauritaniae res litteratissimus. Verum de hoc dicetur alias accuratius; quemadmodum etiam illam quaestionem nunc in medio relinquo, num forte hic Cornificius etiam rhetorica attigerit, ita ut non diversus sit a Q. Cornificio, Ciceronis amico.

P. P. in Academia Marburgensi d. XXVI. Februarii MDCCCXLIII.

I. LECTIONES ORDINIS THEOLOGORUM.

CAROLUS GUIL. JUSTI, ord. leonis aurei Hassiaci praefectus sec. cl. phil. ac theol. Dr. et P. P. O., coet. Lutheran. per Hassiam superiorem superintendens, Augustissimo Electori in senatu ecclesiastico a consiliis supremis, et ad aed. paroch. pastor primarius, 1) *privatim* h. x quinis diebus *epistolam Pauli ad Romanos* et *utramque ad Timotheum epistolam*; 2) *publice* h. I *Jonam* interpretabitur.

HERMANNUS HUPFELD, philos. et theol. Dr. hujusque ac lingg. orr. P. P. O., seminarii Philippini ephorus, *privatim* 1) *Psalmos* interpretabitur senis diebus h. II.; 2) *historiam literariam cum universi codicis sacri tum singulorum V. T. librorum* duce *de Wettio* tradet quinis diebus h. IV.

FRIDERICUS GUILIELMUS RETTBERG, phil. et theol. Dr. hujusque P. P. O., theol. ordinis h. a. decanus, tradet *privatim* 1) *ethicam christianam* quinquies h. IX—X, 2) *historiam dogmatum* quinquies h. III—IV, 3) *symbolicam comparativam* quater h. V—VI; *publice* studia *societatis dogmaticae* moderabitur diebus Lunae hor. VI—VIII vespertinis.

ERNESTUS LUDOVICUS THEODORUS HENKE, phil. et theol. Dr. hujusque P. P. O., 1) *privatim a) theologiam biblicam* tradet quaternis scholis h. XI, *b) historiae ecclesiasticae* partem secundam quinis diebus h. VIII; 2) *publice societatis homileticae exercitationes* solito more moderabitur die Veneris h. V.

GUILIELMUS SCHEFFER, phil. Dr. et theol. Lic. hujusque P. P. O. Aug. Electori in regimine et senatu ecclesiastico a consiliis, eccl. reform. per Hassiam, superiorem inspector, 1) *privatim a) utramque Pauli ad Corinthios epistolam* quinis scholis h. X interpretabitur, *b) dogmaticam christianam* octies per hebd., sexies h. IX et duabus horis commodis docebit, *c) catecheticam* et *specialis animorum curae theoriam* quaternis scholis h. XI. tradet; 2) *publice exercitia catechetica* hora posterius constituenda moderabitur.

II. LECTIONES ORDINIS JURECONSULTORUM.

EDUARDUS PLATNER, phil. et J. U. D. hujusque P. P. O. Augustissimo Electori a consiliis aulae intimis et ord. leonis aurei Hassiaci eques, facult. jur. assessor ordinarius, 1) *publice historiam rei judiciariae apud Romanos* die Merc. h. IV enarrabit; 2) *privatim a) historiam juris romani* senis diebus h. III tradet, *b) jus naturae* quaternis diebus h. IV docebit; quaternis dieb. h. XI *jus criminale Romanorum ejusque historiam* explicabit.

EDUARDUS SIGISMUNDUS LOEBELL, ordinis leonis aurei Hassiaci equesi, jur. utr. Dr. et P. P. O., Academiae Procancellarius, facult. jur. Assessor ordinarius, 1) *publice* dieb. Merc. et Sat. h. XI primam partem *juris hereditari*; *a*) *privatim a*) quotidie h. X et II *pandectas* duce *Wening-Ingenheim*, *b*) quaternis diebus h. XI *theoriam processus criminalis* ad *Martini* librum exponet.

ARMIN. ERN. ENDEMANN, jur. utr. Dr. et P. P. O., facult. jurid. h. a. decanus, 1) *privatim a*) *jus germanicum privatum* cum *hassiaco* quotidie h. VIII et bin. schol. h. VII secundum proprium filum tradet, *b*) *jus feudale* secundum *Paetzium* quat. per hebd. h. X docebit; 2) *publice processus quos vocant summarios* dieb. Merc. et Sat. h. X exponet.

CAROLUS FRIDERICUS VOLLGRAFF, philos. et jur. utr. Dr., juris publici atque artis politicae P. P. O., 1) *publice* instituet *examinatorium* in *politiam* de Merc. h. III; 2) *privatim* docebit *a*) *jus publicum* una cum *arte politica* quinis diebus h. XI, *b*) *jus gentium* atque *civitatum confoederatarum* quater h. II duce libro suo, *c*) *politiam* quater h. III proprio filo.

AEMILIUS LUDOVICUS RICHTER, J. U. D. et P. P. O., bibl. acad. praefectus sec., Academiae h. a. Prorector, 1) *privatim a*) *jus ecclesiasticum* tam *catholicorum* quam *evang.* secundum librum suum: Lehrbuch des Kirchenrechts, Leipzig 1842. quatt. scholis h. IX, *b*) *processum civilem* quin. scholis h. VII docebit; 2) *publice selecta juris ecclesiastici* capita examinando illustrabit die Merc. h. IX. Praeterea ad *exercitationes practicas* moderandas paratus erit.

CONRADUS BUECHEL, J. U. D. et P. P. O., 1) *publice* doctrinam *de restitutionibus in integrum* die Sat. h. II tradet; 2) *privatim a*) *encyclopaediam et methodologiam juris* duce *Falckio*, quaternis dieb. h. II, *b*) *institutiones juris Romani* duce *Marezollio* senis dieb. h. XI profitebitur, *c*) *textum institutionum Justiniani* senis dieb. h. X interpretabitur, *d*) *historiam juris Romani* senis dieb. h. III. tradet.

III. LECTIONES ORDINIS MEDICORUM.

FERD. WURZER, ord. leonis aurei Hass. praefectus sec. cl. et ord. reg. Boruss. aquilae rubrae eques III cl., Augustissimo Electori a consiliis rerum medicarum intimis et supremis, med. et philos. Dr., chemiae et pharm. P. P. O., deputationis med. in Hass. super. director et in regimine Marburgensi a consiliis in rebus medicis nec non h. a. fac. med. decanus, *publice a*) die Merc. h. X *selecta capita ex chemia forensi* proponet, *b*) eadem hora die Sat. *medicinam ad rem publicam pertinentem* tradet; 2) *privatim a*) quat. per hebd. h. X *materiam medicam et chirurgicam*, *b*) hora II pomerid. *toxicologiam* proprium filum secuturus binis scholis docebit.

GEO. GUIL. FRANCISC. WENDEROTH, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis, philosoph. et med. Dr. hujusque et botanices P. P. O., instituti botan. director, 1) *privatim institutiones rei herbariae* sec. compendium suum quinis scholis h. XI docebit, *b*) *phytologiam medicam* quat. schol.

h. v tradet; 2) *privatissime a) planter. definiendar. exercitationes cum commilitonibus instituendas* bis h. VIII. moderabitur; *b) adumbrationem oeconomiae* ruris ex schedis suis eadem hor., vel alia sibi et commilitonibus commoda totidemque scholis dabit; 3) *publice demonstrationes* in horto botanico *excursionesque* in vicinas regiones his omnibus more sueto adjunget.

CHRISTOPH. ULLMANN, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis, med. Dr. et chir. atque ophthalmologiae P. P. O., instituti chirurgico-medici clinici director, 1) *privatim a) chirurgiae* prim. partem duce de *Walthero* (Syst. der Chirurg. I. B. 2. *neu. umgearb. Aufl.* Carlsruh. u. Freib. 1843) et *Chelio* hh. VI—VIII quotidie et *b) ophthalmologiam* docebit duce *Beckio* et *Sichelio* (über die Augenentzündungen etc. deutsch bearbeitet v. Dr. *Gross* I. B. Stuttg. 1840) h. XI quinquies; 2) *privatissime* partimque *publice clinicen morborum chirurgicorum* et *ocularium* cum *operationibus* hh. suetis moderari perget.

JO. MAUR. DAV. HEROLD, phil. et med. Dr. hujusque P. P. O., instit. zoolog. director, 1) *publice examinatorium de variis rebus ad zoologiam generalem et specialem pertinentibus*, sermone latino instituet, semel per hebd. die Jovis hor. XI; 2) *privatim historiam naturalem specialem animalium inferiorum ordinum* sexies h. X exponet; 3) *privatissime zoologiae generalis primam partem*, quae *animalia superiorum ordinum* comprehendit, sexies h. VI docebit.

CAR. FRID. HEUSINGER, med. Dr. et P. P. O., instituti medico-clinici director, 1) *publice* die Sat. h. I *examinatorium clinicum* continuabit; 2) *privatim a) encyclopaediam medicinae et introductionem in illius historiam* ter h. I *b) iatrotechnicen* quater h. VIII, *c) pathologiae* et *therapiae specialis partem priorem* h. XI tradet; 3) *privatissime clinicen medicam* horis suetis moderabitur.

CAROLUS CHRISTOPHORUS HUETER, med. Dr. et artis obstetriciae P. P. O., xenodochii obstetricii director, 1) *privatim* scholis quaternis per hebd. h. III—V *artem obstetriciam* docebit; 2) *publice examinatorium de rebus obstetriciis* bis per hebd. h. III instituet; 3) *privatissime clinicen obstetriciam* h. IV bis per hebd. aliisque horis sueto more moderabitur.

IV. LECTIONES ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CAROLUS GUILIELMUS JUSTI, philos. ac theol. Dr. et P. P. O., *privatim* h. V quin. dieb. *aestheticam* tradet.

CHR. ANDR. LEON. CREUZER, theol. et philos. Dr. hujusque P. P. O., Augustissimo Electori in senatu eccles. a consiliis supremis et ad aedem paroch. ecclesiastes, 1) *publice examina logica* instituet h. IX die Sat.; 2) *privatim a) logicam* praemissa introductione *in universam philosophiae disciplinam*, rel. dieb. ead. hora tradet.

CAROL. FRANC. CHRIST. WAGNER, philos. Dr. et graecarum latinarumque litt. P. P. O., Aug. Electori a consiliis aulae intimis, 1) *publice Tibulli* inter-

pretabitur *carmina*; 2) *privatim* h. x *Sophoclis Oedipum regem* et *Electram* explicabit; 3) *privatissime* operam suam iis navabit, qui *linguam anglicam italicamve* addiscere voluerint.

CHRISTIANUS LUDOVICUS GERLING, philos. Dr., math. phys. et astr. P. P. O., inst. math. phys. director, 1) *publice* tractabit *selecta matheseos ac physices capita* d. Merc. h. VIII; 2) *privatim* tradet *geometriam practicam* dd. Lun., Mart., Jov. et Ven. h. III adjectis *exercitationibus* dd. Lun. et Jov. h. IV—VII nec iis deerit, qui *privatissime* in *capiendis experimentis physicis exerceri* cupiunt.

FRIDER. REHM, philos. Dr. hujusque et histor. P. P. O., bibl. acad. praefectus, 1) *publice* praecipua *historiae hassiacae* capita enarrabit diebb. Lunae et Jovis h. VI vesp.; 2) *privatim* docebit *historiam a) medii aevi* h. V pom. dieb. V, *b) recentioris Europae ejusque coloniarum* h. VIII mat. dd. IV.

JO. FRIDER. CHRIST. HESSEL, philos. et med. Dr., mineralogiae et technologiae P. P. O., mus. mineralog. director, docebit 1) *publice perspectivam* dieb. Merc. et Sat. h. I; 2) *privatim a) geognosiam* quaternis dieb. h. II, *b) mineralogiam technicam* quinquies per hebd. hor. XI, *c) mechanicam* quinis dieb. h. X, *d) analysin combinatoriam* diebb. Lun., Mart. et Ven. h. III.

HERMANNUS HUPFELD, philos. et theol. Dr. hujusque et lingg. orient. P. P. O., *publice institutiones arabicas* lectionibus moderandis absolvet binis diebus h. XI.

V. A. HUBER, phil. et med. Dr. et literarum occidentalium P. P. O., h. a. ord. phil. decanus, 1) *publice rudimenta linguae italicae* tradet binis scholis h. III; 2) *privatim a) Dantis Aligerii divinam comoediam* interpretabitur binis scholis h. X, *b) historiam literariam populorum neo-romanorum aetate media* tractabit binis scholis h. X, *c) Shakspearii drama King Henry V* interpretabitur binis scholis h. IV.

CHRISTIANUS KOCH, philos. Dr. et paedagogices P. P. O., 1) *publice paedagogices* praecepta philosophica h. VI vespertina diebus Lunae et Jovis tradet; 2) *privatim conversatoria didactica* offert auditoribus idoneis adhibito libro suo typis et sumtibus Elwertianis 1832 edito.

ROBERTUS GUILIELMUS BUNSEN, phil. Dr. et chemiae P. P. O., inst. chemici director, 1) *publice chemiam generalem* tradet sexies per hebd. h. IX, 2) *privatim zoochemiam* et *phytochemiam* quater per hebd. h. VIII explicabit; 3) *privatissime exercitationes chemicae* dieb. Lun., Mart. Jov. et Vener. h. XI—I moderari perget; 4) *electrochemiam* docebit d. Sat. h. XI.

BRUNO HILDEBRAND, phil. Dr. litt. politicarum P. P. O., 1) *publice societatis politico-oeconomicae exercitationes* moderari perget d. Martis h. V—VII; 2) *privatim a) oeconomiam publicam* docebit quater h. IV, *b) de re aeraria* disputabit quater h. VII, *c) de mercatu* disputabit quater h. III, *d) statisticen universalem* tradet quater h. VIII.

THEODORUS BERGK, philos. Dr. et philologiae P. P. O., seminarii philologici

director, 1) *publice Platonis Phaedonem* latine explicabit dieb. Merc. et Sat. h. XI; 2) *privatim a) grammaticam linguae graecae* scholis quaternis h. IX *b) historiam philosophiae antiquae* secutus *Prelleri* librum (*historia philosophiae graeco-romanae ex fontium locis contexta.* Hamburgi 1838) scholis quaternis h. XI tradet; 3) *seminarii philologici* sodalibus *Aristophanis Ranas* et *Terentii Heautontimorumenon* interpretandas proponet et reliquas eorum *exercitationes* moderabitur ternis scholis h. III.

V. LECTIONES INSTITUTI POLITICO-OECONOMICI,

FERD. WURZERI, h. a. praes.
EDUARDI PLATNERI,
CAROLI FRID. VOLLGRAFFII,
GEO. GUIL. FRANC. WENDEROTHI,
CHR. LUD. GERLINGII,
FRID. REHMII,
JO. CHR. FR. HESSELII,
BRUN. HILDEBRANDI,

suis locis commemoratae sunt.

VI. LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

HENRICUS THIERSCH, philos. Dr. theolog. Licentiat. et P. P. E., 1) *privatim a) synopsin trium evangelistarum priorum* interpretabitur sexies h. X *b) encyclopaedium theologicam sive introductionem in studium theologiae academicum* tradet ter h. IV; 2) *publice Pauli epistolam ad Galatas* latino sermone explicabit binis lectionibus hora posterius indicenda.

HERMANNUS NASSE, med. et chir. Dr. et P. P. E., 1) *publice historiam evolutionis* et *hominis* et *animalium* exponet binis scholis h. V; 2) *privatim a) physiologiam hominis* experimentis illustratam tradet h. IX aut X sexies, et *b) exercitationes in instituto physiologico* diriget horis pomeridianis.

FRANCISCUS LUDOVICUS FICK, med. Dr. et P. P. E. et in instit. anat. prosector primarius, 1) *publice de corporis humani evolutione* disseret h. II per hebd.; 2 *privatim a)* ter per hebd. h. III *osteologiam* et *syndesmologiam hominis, b)* quater per hebd. h. IV *anatomiam comparatam, c)* quotidie h. VI *anatomiae specialis corp. hum.* partem secundam docebit; 3) *privatissime* cum Dr. *Ludwig* prosectore *instructiones practicas, quae ad organa sensuum nervosque spectant*, diriget.

GEORGIUS JACOBUS FRIDERICUS SONNENMAYER, med. D. et ophthalmiatrices P. P. E., 1) *privatim ophthalmologiam* tradet quat. h. III p. hebd.; 2) *privatissime a) cliniven ophthalmiatricam* sexies per hebd. h. X—XII reget et *b)* cursum offert instituendum de *operationibus ophthalmiatricis.*

THEOPHILUS KUERSCHNER, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice historiam evolutionis hominis* bin. hor. enarrabit; 2) *privatim a) physiologiam hominis* sexies h. VII matut., *b) physiologiam comparatam* quater h. X docebit; 3) *privatissime experimenta physiologica* cum iis, qui volunt, instituet ter h. IV.

CAROL. REINH. MUELLER, phil. Dr. et math. P. P. E., 1) *publice a*) partem acustices practicae quam vocant *Generalbass* desiderantibus offert die Sat. h. I aut alia commoda, duce libro suo *Anleitung zum Generalbasse*, Marburg 1834, *b*) *algebrae elementa* tradet dieb. Merc. et Sat h. XI; 2) *privatim a*) *matheseos puram* quat. h. IX, *b*) *statices, hydrostatices* et *aerostatices elementa*, vel si maluerint auditores *doctrinam de sectionibus conicis* quat. dieb. h. X docebit.

CAR. THEOD. BAYRHOFFER, philos. Dr. et P. P. E., 1) *publice ideam philosophiae* exponet d. Merc. et Sat. h. IX; 2) *privatim a*) *logicam* quat. dieb h. IX, *b*) *universalem philosophiae historiam* sexies h. XI docebit.

CAROL. JUL. CAESAR, philos. Dr. et philologiae P. P. E., 1) *publice Horatii Satiras* interpretabitur binis scholis h. III; 2) *privatim a*) *metricam Graecorum et Romanorum artem* exponet quaternis scholis h. X, *b*) *prolegomena in mythologiam Graecorum et Romanorum* tradet dd. Merc. et Sat. h. X.

FRANCISCUS VORLAENDER, phil. Dr. et P. P. E., 1) *publice de Hegelii philosophia religionis* disseret; 2) *privatim Logicam* docebit, ita ut *Schleiermacheri dialecticae* potissimum rationem habeat, scholis postea indicandis.

JOSEPHUS CAROLUS FRIDERICUS RUBINO, phil. Dr., professor, 1) *publice Pindari carmina selecta* binis scholis hora IX explanabit; 2) *privatim a*) *historiam populorum antiquorum Orientis et Graeciae* quinis scholis h. V pomeridiana et *b*) *antiquitates Romanas* senis scholis h. VIII tradet.

VII. LECTIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

CAROLUS STERNBERG, jur. utr. Dr. et in tribunali superiori, quod Marburgi floret, causarum procurator, *privatim juris publici antiqui Germanici* indolem explicabit, respecturus *C. Vollgraffii* librum: *Charakteristik oder Charakter- und Kultur-Statistik der germanisch-slavischen oder modernen Völker Europa's* (*der Systeme der praktischen Politik im Abendlande* 3. *Theil*) binis schol. h. IV.

FRANCISCUS VICTOR ZIEGLER, J. U. D., *privatim a*) *jus publicum universale*, inprimis *germanicum* tradet quinis scholis h. XI, *b*) *jus gentium* et *civitatum foederatarum* docebit quaternis scholis h. II, *c*) *jus criminale* duce *Wächtero*, profitebitur quinis scholis h. X.

GEORGIUS GUILIELMUS WETZELL, J. U. D., *privatim pandectas* nec non *jus hereditarium* duce *Puchta* senis diebus h. X—XII et III docebit.

LEOPOLDUS STEINFELD, jur. utr. Dr. et in tribunali Marburgensi auscultator, 1) *gratis examinatorium de selectis processus civilis capitibus* die Merc. h. X instituet; 2) *privatim a*) *processum civilem* duce *Lindio* quinis dieb. h. IX docebit, *b*) *practicum processuale* cum *relatorio* conjunctum quat. dieb. h. V instituet, *c*) *practicum pandectarum* binis horis indicandis per hebd. diriget; 3) *privatissime examinatoria* de singulis juris disciplinis offert.

FERDINANDUS ROBERT, med. Dr., 1) *gratis* a) *anatomiam chirurgicam* h. VIII. ter; per hebd.; 2) *privatim* a) *chirurgiam operativam* sexies per hebd. h. IX, b) *materiam medicam* quaternis scholis, c) *doctrinam de instrumentis, re fasciis chirurgicis* cum *historia chirurgiae* conjunctam quat. schol. h. II, profitebitur.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. Dr., 1) *privatim de chemia technica* quat. dieb. h. VII disseret; 2) *privatissime examinatoria de rebus chemicis* offert.

C. LUDWIG, med. Dr., 1) *privatim* a) *physiologiam hominis* quotidie h. X, b) *anatomiam generalem* ter per hebd. h. VIII tradet; 2) *publice examinatorium de electis anatomiae specialis humanae* partibus instituturus est.

E. PH. AMELUNG, philos. Dr., lectiones suas *privatissimas* tam *graecas* quam *latinas gallicasque* sueto more continuabit, nec iis operam suam denegabit, qui in *variis linguae vernaculae stili generibus* exerceri voluerint quat. per hebd. schol. h. IV—VI postm.

JOS. HOFFA, philos. Dr. et scholae publ. collaborator, *gratis* a) selecta e *psalmis* carmina diebb. Merc. et Sat. h. II explicabit, b) *Quintum Ciceronem de Petitione Consulatus* d. Merc. h. XI enarrabit; 2) *privatim* a) *Homeri Odysseam* quat. scholis h. XI, b) *M. T. Ciceronis de Republica* libros interpretabitur, praecepta *stili latini* tradet et *scribendi exercitationes* moderabitur quat. schol. h. III; 3) *privatissimas institutiones* tam *graecas latinasque* quam *hebraicas* continuabit.

FRANCISCUS DIETRICH, philos. Dr. et seminarii Philippini major, 1) *privatim* a) *grammaticam hebraicam* quat. scholis h. IV tradet, b) librum *Jobi* interpretabitur quat. h. XI; 3) *gratis Borealium gentium literaturam* delineabit et *selecta scripta ut veterem de Frithiofo* narrationem integram explicabit bis per hebd. h. V.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., 1) *gratis* dieb. Saturni h. II *de rebus analyticis examina* instituet; 2) *privatim geometriam* quam dicunt *descriptivam* ternis diebus h. IV docebit, b) *analyseos* partem priorem, quae *doctrinam serierum* et *calculum differentialem* complectitur, compendium *Burgianum* secuturus quinis scholis h. III tradet; 3) *privatissime*, sed *gratis* auditorum qui satis in mathesi provecti sint *exercitationes* circa problemata ab ipsis solvenda moderari perget die Merc. h. IV—VI.

Equorum subigendorum artem addiscere cupientibus non deest magister peritissimus, nec hippodromi spatiosissimi copia; nec minus praesto sunt, qui instrumentorum mathematicorum physicorumque fabricationem, artem delineandi, calligraphiam, musicen, armorum denique tractationem et saltationem recte doceant.

HARVARD UNIVERSITY

GRADUATE SCHOOL OF ARTS AND SCIENCES

Application for a Room in Conant Hall or in the North End of College House for 1912–13

☞ Applications may be entered only by students who are to be enrolled for the year 1912–13 in the Graduate School of Arts and Sciences (or in the Graduate School of Applied Science). Applications must be addressed to George W. Robinson, Secretary, 24 University Hall, Cambridge. All writing must be in ink. Surety is required in the form of either (*a*) a bond for $400 which shall be satisfactory to the Bursar, or (*b*) advance payment of the full year's rent of the room immediately upon assignment. Blank forms of the bond may be obtained from the Bursar, or from the Secretary of the Graduate School of Arts and Sciences.

The agreement must be signed in all cases. The numbered blanks are to be filled [1] "me," [2] "I," [3] "my," or [1] "us," [2] "we," [3] "our," according as one or two applicants sign the agreement.

In consideration of the assignment to [1] for the period from Sept. 23, 1912, until June 19, 1913, of any one of the rooms specified in the annexed order of preference, [2] hereby agree to take the room assigned, for [3] own occupation, in accordance with the established rules and the laws and usages of the University, and to pay for the rent and care thereof for the whole period above-named, the full price stated in the official published lists.

Signature. .....

Present P. O. Address. .....

Signature. .....

Present P. O. Address. .....

The order of preference is as follows: —

1. No.	in	11. No.	in
2. No.	in	12. No.	in
3. No.	in	13. No.	in
4. No.	in	14. No.	in
5. No.	in	15. No.	in
6. No.	in	16. No.	in
7. No.	in	17. No.	in
8. No.	in	18. No.	in
9. No.	in	19. No.	in
10. No.	in	20. No.	in

Lc 66.50
De Cornificio ejusque studiis gramm
Widener Library 004310014
3 2044 085 198 422